

pietate reviviscentem, ac ferme decori suo restitutum: quantoque labore, ac diligentia commo-
modo tuo consultum sit, collatis aliis Lector agnosces, easque singulis tomis temporum ordini convenientes preposuimus.

Additum etiam est eorum operâ præstantis-
simum alterum antiquitatis monumentum è re
diplomatica, quæ quantum lucis afferat Hi-
storiæ nemo est qui ambigat, eoque consilio
varia Langobardorum Regum, & qui iis suc-
cesserunt Imperatorum diplomata, vel castiga-
ta, vel nunc primùm è tenebris eruta coronidis
loco apposuerunt. Atque utinam cæteris etiam
tantus in hæc amor ne pretiosissima majorum
lipsana blattis, ac tineis brevî erodenda ma-
ximâ Historiæ jacturâ relinquerentur: utque
majorem Eruditorum gratiam inirent, iis om-
nibus, quæ ab ipsis autographis transcribere li-
cuit, præpositum est specimen characteris: olet
enim peritis hæc aspicientibus nescio quod sin-
ceræ fidei argumentum, eaque de causa plu-
ribus nostrorum Scriptorum historiis, Ambrosia-
næ Bibliothecæ, aliisque antiquissimis codici-
bus iterum collatis, & variantibus lectionibus
auctis suum quibusque specimen characteris est
additum. Ad hæc potissimam operam dede-
runt Vir Cl. JOSEPH ANTONIUS SAXIUS eidem
Bibliothecæ Præfectus, cujus eruditione nostrum
opus est absolutum, & HORATIUS BLANCUS
Romanus, quo adnitente græcæ literæ jamdiu
typis nostris obsoletæ iterum invaluerunt, &